IOANNES GVTENBERG, ET IVO SCHEFFERVS.

INter artes pulcherrimas & præſtantiſsimas nõ immeritò impreſſoria maxima cẽſenda eſt, qua uno die duo homines tantum literarũ inprimunt, quantum uix anno integro plures antea ſcribere potuerunt. Eius primi authores fuerunt Ioannes Fauſtus, & Iuo Schefferus, Anno 1440. Illi enim Moguntiæ Germanorum exiſtentes, atq; diuino ingenio ualentes de hac re diu cogitarunt. tãdem uerò literas formantes compoſuerunt, atq; huius artis ſpecimen exhibuerũt. Erat autem ars illa primò abſcondita & paucis manifeſtata. literas enim in ſaculis clauſis ſecum in officinas ferebant, ac abeuntes auferebant: donec temporis ſucceſſu ars aucta, atq; plurimùm illuſtrata fuerit.